

mus enim nullum excellenter pulchrum esse inordinatum, ita ut ordo & pulchritudo se mutuò quasi amplexentur. Cùm itaq; Aristoteles in Organo suo nihil præcipiat de hoc nobilissimo instrumento Logico, ideò mancū & mutilum illud esse contendimus. *Zabar. l. 4. de meth. c. 22.* Illa enim disciplina instrumentalis perfecta esse nequit, quæ perfectissimum instrumentum, cuiusmodi methodus est, omittit. Nullum siquidem totum sui aliquâ parte principe sublatâ, verè totum, sed mutilum est. Sed claudamus hanc commentatiunculam canone:

Methodus requirit, ut à priorib. notiorib. & facilioribus, ad posteriora, ignotiora & difficiliora progressus fiat.

Hic canon sumtus est è definitione methodi, adeoque ipsius formâ & fine.

Methodus alia est inventionis, alia doctrinæ.

Methodus
inventionis.

Qui nullam agnoscunt methodū inventionis, plus quàm stupidi sunt. Non enim fieri potest, ut eadem methodo disciplinæ inveniantur & doceantur. Deinde duobus modis res cognoscimus in disciplinis propositas, vel per inventionem, vel per doctrinam. Cùm igitur cognitio sit duplex, etiam methodus cognitionis erit duplex, ita ut alia in inveniendis & constituendis disciplinarum præceptis, alia in iisdem docendis & tradendis adhibeatur.

Methodus inventionis est methodus præceptis artiū facilius indagandis & constituendis inserviēs.

De hâc sunt canones:

1 *Methodus inventionis est difficilior methodo doctrinæ.*

Difficilius enim est invenire aliquid, quàm inventa docere.

2 *Methodus inventionis requirit, ut à sensibilibus ad intelligibilia, à singularibus ad universalia, à specialibus ad generalia, ab infimis per intermedia ad suprema progressus fiat.*

Ratio canonis est: quia disciplinæ sunt inventæ per inductionem. At inductionis virtus est ascensiva, ut loquuntur; hoc est, Inductio à singularibus tanquam infimis ascēdit ad